Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31662
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

celo celestis. Item dicit. Per unum hominem mors, et per unum hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. Omnes et omnes ideo dixit: quia in morte nemo non per illum, in vita nemo non per istum. In primo patuit, quid hominis arbitrium valeret ad mortem; in secundo autem, quid dei adiutorium valeret ad vitam. Denique primus homo non nisi homo, secundus vero deus et homo. Peccatum enim factum est relicto deo; iusticia non fit sine deo. Ac per hoc nec moreremur nisi per carnalem propagationem de membris illius veniremus, nec viveremus nisi per spiritalem conexionem membra huius essemus. Ideo nobis opus fuit nasci et renasci; illi autem propter nos tantum opus fuit nasci. Nos enim a peccato ad iusticiam renascendo transimus; ille autem a nullo peccato ad iusticiam transitum fecit. Sed in eo quod baptizatus est, nostre regenerationis sacramentum sua humilitate altius commendavit, veterem tamen hominem nostrum passione, novum resurrectione significans.

Ex libro de trinitate .iiii.

Ut quoniam sicut per unum hominem mors, ita per unum hominem fieret resurrectio mortuorum. Quia magis vitabant homines quod evitare non poterant mortem carnis quam mortem spiritus, id est magis penam quam meritum pene. Nam non peccare aut non curant aut parum curant; non mori autem quamvis non optineatur vehementer satagunt. Vite mediator ostendens quam non sit mors timenda que per humanam conditionem iam evadi non potest, sed potius impietas que per fidem caveri potest, occurrit nobis ad finem quo venimus, sed non qua venimus. Nos enim ad mortem per peccatum venimus, ille per iusticiam. Et ideo cum sit mors nostra pena peccati, mors illius facta est hostia pro peccato.

Ex libro de origine anime ad Ieronimum.

Per unum hominem mors, et per unum hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. Per hanc enim apostolicam divinam dilucidamque sententiam satis evidenter elucet neminem ire in mortem nisi per Adam, neminem in vitam eternam nisi per Christum. Hoc est quippe omnes et omnes, quia sicut omnes homines per primam hoc est per carnalem generationem pertinent ad Adam, sic omnes ad secundam, id est spiritalem generationem veniunt quicumque ad Christum perveniunt. Ideo quod dictum est hic omnes et ibi omnes, quia sicut omnes qui vivificabuntur non nisi in Christo vivificabuntur. Ac per hoc quisquis nobis dixerit quemquam resurrectione mortuorum vivificari nisi in Christo, tamquam pestis communis fidei detestandus est. Item quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur et parvuli qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostoli predicationem venit et totam condempnat ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse. Qui autem non vivificantur in Christo, restat ut in ea condempnatione maneant de qua dicit apostolus: Per unius delictum in omnes homines ad condempnationem. Cui delicto obnoxios parvulos nasci et omnis credit ecclesia. Plane audivi et credidi propter quod et locutus sum. Quia veniet hora quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem eius et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vite. Ipsa est de qua dicitur: Et per unum hominem resurrectio mortuorum; ipsa est qua in Christo omnes vivificabuntur. Qui autem male egerunt in resurrectionem iudicii. Quid hic de illis infantibus intellegendum est, qui priusquam possent agere bene vel male sine baptismo corpore exuti sunt? Nichil hic de talibus dictum est. Sed si caro eorum ideo non resurget quia nec boni aliquid egerunt nec mali, nec illorum resurrectura est qui percepta baptismi gratia in illa etate defuncti sunt, in qua nichil mali agere potuerunt. Si autem illi inter sanctos resurgent, inter eos qui bene egerunt, inter quos et illi resurrecturi sunt, non inter eos qui male egerunt, ne aliquas humanas animas credamus corpora sua non recepturas, sive in resurrectionem iudicii. Que sententia priusquam refellatur, ipsa novitate iam displicet.

Ex libro de trinitate .iiii.

Propter hoc exemplum future nostre resurrectionis in